MASTER NEGATIVE
NO. 93-81196-5

AUTHOR:

MEZGER, GEORG CASPER

TITLE:

EXPOSITIO EPISTOLAE HORATII AD PISONES

PLACE:

AUGUSTAE VINDELICORUM

DATE:

[1855]

Master Negative #

93-81196-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Mezger, Georg Caspar, 1801-1874.
...Expositio Epistolae Horatii ad Pisones.
Augustae Vindelicorum, typis Wirthianis, [1855]
28 p. 27½ cm.

At head of title: Sollemnia anniversaria in Gymnasio regio Augustano... ante diem VIII. Idus Sextiles MDCCCLV rite celebranda indicit Dr. Georgius Casparus Mezger...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 3-23-93 INITIALS MGY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO AUGUSTANO

AUGUSTANAE CONFESSIONI

ADDICTO

ANTE DIEM VIII. IDUS SEXTILES MDCCCLV

RITE CELEBRANDA

INDICIT

DR. GEORGIUS CASPARUS MEZGER
GYMNASII RECTOR.

INEST EXPOSITIO EPISTOLAE HORATII AD PISONES.

AUGUSTAE VINDELICORUM
TYPIS WIRTHIANIS.

Hoc quoque anno necessitas mihi injuncta fuit, ut subito pararem, quae programmatis loco lectionum nostrarum et discipulorum catalogo praemitterentur. Quam ob causam quum scrinia excussissem, in manus venit volumen, quo Horatiana mea continentur. Elegi partem, quae ad epistolam de arte poetica pertinet, typis exprimendam. Plurima ex ea, quum scholas praeparabam, festinante calamo in chartas conjeci, ut adminiculo mihi essent epistolam ad Pisones scriptam in publico ludo interpretaturo, reliqua post addita sunt, si inspectis virorum doctorum commentariis aut dissensum notare vellem aut consensum, etiam si quid ipse vidisse mihi viderer, quod alios fugisset. Spero autem, fore, ut benevole excipiantur, quae necessitate illa excusari volunt, cui servire debui propterea, quod annales nostros sine comite suo non esse emittendos putavi.

EXPOSITIO EPISTOLAE HORATII AD PISONES.

I. Poematis sit unitas et simplicitas

a) singularum partium convenientia,

vv. 1 — 23.

Ut pictor risum moveat spectantium si monstrum aliquod proponat e membrorum repugnantium mixtura conflatum, ita deridebitur poeta, in cujus carminibus miracula habebimus, qualia sunt febriculosi deliramenta rei ipsi tam dissimilia,

ut finis discordet ab initio. Libertas quidem quidlibet fingendi quamquam utrisque omni tempore data est illibata et nunc concedenda usurpandaque a sanis, tamen tanta esse nequit, ut contraria et adversa copulent, id quod faciunt, qui exspectationem magnificis exordiis excitatam frustrantes ad aliena continuo digredi solent, quibus praepostere insertis exsplendescere volunt. Exemplo sunt isti locorum sacrorum, rivorum per amoenas regiones flexuose decurrentium, fluvii Rheni, coelestium signorum h. e. intempestivorum ornamentorum fictores. His adjungi debent et ii, qui ineptiis suis misera omnia non minus disperdunt, quam malus ille pictor, abs quo ad calamitatem naufragi exprimendam conducto tabulae cupressus addita est, artificii scilicet dubii testis, et ii, quibus evenit quod figulo operis adeo ignaro, ut progrediente labore longe aliud formet, quam instituit. Haec igitur lex esto prima poeseos, ut singula inter se consentiant respondeantque toti.

v. 3. undique collatis membris. Dativus est. Sed vocab. undique facit, ut de aliis aliorum animalium membris cogitemus, quae variis plumis tecta sint. His accedit ad rei deformitatem perficiendam ater piscis. Habet igitur monstruosa ista species caput humanum, cervices equinas, mediam corporis partem ab aliis bestiis multifarie sumtam et eam pennatam, ut aves quoque aliquid largiantur, infimam a foedo pisce. Bentleii explicationem: „Ergo inducere plumas membris perinde erit atque ipsum caput, cervicem, caudam et cetera membra undique collata plumis obducere et tegere. Id enim est inducere“ nemo hodie probabit. Nec opus est, ut ad conjecturam ejus confugiamus pro „plumas“ proponentis „formas.“

b) universae rei compositione atque arte.

vv. 24 — 37.

Sed plurimi — festive se ipse non excludit a deceptorum numero Pisones honorificis verbis appellans — perperam interpretantes quod rectum est et decorum opinionis errore fallimur. Nam brevitatis studio obscuri, levitatis cura enervati et tenues, granditatis professione tumidi, nimia cautione pravitatisque metu humiles, amore eandem rem mire variandi ridiculi evadimus pisces in silvas, in aquam transferentes terrestria animalia. Ita fit, ut alterum vitium vitaturi in alterum incidamus inscitia artis. Nec poterit compensare quod in toto opere peccatur fabrilis illa peritia, qua statuarius nescio quis praeter ceteros unam alteramve signi sui partem sollerter perficit; poeta certe hujuscemodi praestantia excellere eadem de causa nolit, qua non optet, ut distorto naso deformis sit pulchris oculis et capillis conspicuus.

v. 32. Faber unus. Rejicienda est altera lectio imus, quam nuper Dillenburger tueri voluit. Nam excellentiae cujusdam singularis significationem sententia requirit. Operam perdunt, qui Bentleii scripturam in suspicionem vocare conantur.

II. Res tractetur, quae dispositionem adjuvet et sermonem.

vv. 37 — 72.

Id adhortatur poetas, ut materiam eligant viribus aptam diligenterque exploratam. Quod enim ingenio congruet argumentum, id propria verba ultro subministrabit et ordinis perspicui facultatem. Ordinis autem laudem et venustatem consequetur, qui suo quidque loco assignabit, ut nunc proferat quae nunc postulabuntur, cetera in aliud tempus reservet, praesenti praetermittat, in hoc immoretur, hoc relinquat in promissis mansurus. Ad orationis seriem subtilem et prudentem conducet etiam scita colligatio, qua vulgaria verba novitatis speciem accipiant. Atque si forte ignota adhuc neque antea notione concepta vocabulis recens inventis significanda sunt, procreare licebit quae prisci non audivere, haecque audacia modeste sumta excusabitur, modo novae formae ad similitudinem Graecae linguae raro componantur. Quidni enim jus, quod antiquis fuit, recentioribus prosit, aut cur incrementa illa modica odiosa sint, quum priorum opera domesticae sermonis opes creverint novaque ad res insigniendas nata sint nomina? Datum enim illis et dabitur omnibus, ut consueta in usum suum mutando convertant. Et ut arborum ornatus veloci temporis cursu quotannis alius fit, priore decusso, ita in locum obsoletorum verborum vegeta succedit progenies. Est quippe haec lex, ut cum hominibus evanescant quae condiderunt. Quam ob rem quum opera mortali manu facta vel admiratione dignissima, ut portus ille ad naves tutandas in terram reductus — regium artificium — vel palus, per longum tempus infoecunda et navigabilis, quae frumenta nunc vicinis urbibus praebet arata, fluviusque aliorsum prudenter declinatus, ut nocere desineret, quum igitur mortales res caducae sint, qui potest sperari, fore, ut loquendi consuetudo adametur duretque semper? Redibunt potius multa vetustate jam deleta consenescentque quae nunc auctoritate florent, prout usui libebit, qui in sermonibus libere dominatur.

v. 44. pleraque. Minor enim pars nunc rei inservit, major post locum inveniet.

v. 45. Hoc amet, hoc spernat. Eo delectetur, quo nunc uti liceat, aliud seponat, donec suo loco resumendum sit. Promissi carminis auctor poeta, qui spem fecit boni carminis.

v. 53. Caecilio Plautoque dabit Romanus ademptum
Virgilio Varioque.
Saepius queritur Horatius de antiquariorum perversitate, qui prae caeco praeteriti temporis amore praesentis bona luculentissima non videant. Cf. etiam Horat. ep. II, 1.

v. 59. Signatum praesente nota producere Nomen. Günther reddit haec: Worte zu schmieden, die jeder geprägt mit dem eigenen Stempel. Arnold: Dass man ein Wort ausprägt mit dem jetzigen Stempel gezeichnet. Uterque male falsa scriptura deceptus. Metaphora ducta est a re numaria. Solebant enim triumviri monetales numos signatos, quum in desuetudinem abiissent, nota denuo impressa in usum hominum iterum inducere. Cf. Jos. Eckhelii doctrina numorum vett. Vol. I. p. LX. LXXII. LXVI. LXX. et LXXIX. Vertendum igitur: Ein schon gezeichnetes Wort mit der Gegenwart Stempel empfehlen. Inde liquet etiam, cur aspernanda sit lectio procudere.

v. 65. palus aptaque. Laedit me quantitatis vitium, fateor. Sed quid faciendum est? An concedendum codicum constantiae et ad licentiam poeticam refugiendum? Transpositionem facilem: sterilisve palus diu aptaque remis (cf. Dillenburger ad h. l. et Doederlini: Scherflein zum Verständniss des Horatius p. 27) amplecterer, nisi librorum auctoritas deterreret.

v. 68. mortalia facta peribunt. Doederlinus in comentat. laud. p. 27 dicit: „Mortalia ist hier als Substantiv zu fassen, facta als wirkliches Particip. Der Sinn ist: mortalia (opera) ita ut facta sunt, peribunt, oder mortalia fiunt et pereunt, sicut mortales nascuntur et moriuntur.“ At opponuntur facta manibus et sermones, utraque mortalia. Sequitur enim v. 69. Nedum sermonum stet honos.

III. Numeri observentur et modi.

vv. 73 — 85.

Carmen epicum quo pede temperandum esset, Homerus docuit. Minores elegi, primum animi tristis, post etiam laeti interpretes, hexametris et pentametris versibus nectuntur, qui unde profecti sint disceptatur adhuc et incertum est. Archilochi jambos rabiosos comoedia adoptavit et tragoedia diverbiis accommodatos et ad spectatorum inquietorum aures penetrantes aptosque ad agendum, lyricos modos in hymnis, epiniciis, eroticis, convivalibus cantibus adhibendos Musa ipsa ostendit.

v. 77. exiguos elegos. Minores dixi, quod et ambitu et dignitate inferiores sunt epico carmine.

v. 83. Musa dedit. Vetustissimum fuit lyricum genus. Idcirco videtur ejus origo a Dea ipsa repeti.
Fidibus h. e. fidicinibus, ne ambiguum sit, quo hoc vocab. referatur.

IV. Ratio ducatur, quo dicendi genere opus sit.

vv. 86 — 98.

Qui quod definita carminum munera orationisque varietas poscunt neque potest neque scit praestare, aut recusare debet poetae nomen aut perverso ignorantiae pudore abjecto discere, quod res est. Diversus certe est color comicus a tragico respuitque coena Thyestae h. e. tragoedia quotidianum comicique prope similem sermonem, quo utrinsque fabulae ingenio praecipitur, ut omnes partes servent constanter, quod naturâ suâ decet. Quamquam aliquando et comoedia adsurgens graviorem spiritum sumit, velut ubi Chremetis ira effervescit, et qui tragicam personam Telephi et Pelei agit, deposita omni superbia et ornatu, vulgi sermone utens queritur, si efficere studet, ut spectatores misereat hominum pauperum patriaque expulsorum.

v. 86. Descriptas servare vices operumque colores. Hunc versum alii aliter interpretantur. Lambinus dicit: qui suas cujusque poematis partes et munera ab ipsa natura attributa servare nescit. — Potest et illud vices intelligi de cujusque personae officio et munere et decoro, cujus rei exemplum subiicitur ibi Telephus et Peleus etc., descriptas autem est διατεταγμένας distinctas, distributas, divisas. Orellius: Cum haec varia, quae enumeravit, poesis opera seu genera certis legibus semel descripta, id est singulatim constituta et divisa sint a Graecis potissimum, his legibus, quarum causa et ratio inest in ipsa mentis humanae natura, religiose obtemperandum est; quique eas leges vel non novit vel licenter migrat, poetae nomine indignus est. Inprimis autem vitanda est prava generum confusio ac permixtio, cujus exemplum statim subjungit v. 89. Krüger: descriptas wie Cic. off. I. 16 51. So ist auch hier describere (in Folge einer Eintheilung und Anordnung) etwas zuweisen und festsetzen, vices die Stelle und das, was an einer bestimmten Stelle zu leisten ist: daher auch die Rolle, der Charakter, wie partes. So hier der jeder Dichtungsart eigenthümliche Charakter. Zur Erklärung dient operumque colores: der richtige Ton der Darstellung. Arnold vertit:

Wenn die bestimmten Gesetz und die Farbe des Werks zu bewahren
Weder ich weiss etc.

Günther: Kenne, versteh ich ihn nicht den verschiednen Charakter und Grundton. Commentarios interpretum evolventi mihi saepe venit in mentem illud: erat quod tollere velles. Fluctuant enim plerumque, ubi brevi et praecisa explicatione res est decernenda. Nostro loco descriptae vices sunt certa munera, et operum colores orationis varietas in operibus variis. Reddo haec: die bestimmte Aufgabe und das verschiedene Colorit der Werke.

v. 91. narrari. Recte Orellius: „Ea vero narratur ab ἐξαγγέλῳ, cum in scenam produci non possit." Nempe delicatiores Graecorum oculi non ferebant foeditatem. Cf. quae C. O. Müller in libro: Geschichte der griechischen Literatur t. II. p. 60 dicit.

V. Moveantur animi et teneantur verorum sensuum indiciis.

vv. 99 — 118.

Neque una compositionis praestantia carmina commendet, suavitate sua sese in animos audientium insinuent trahantque eos in quemcunque volent habitum. Quum autem ea sit affectuum vicissitudo, ut laetis laetitiam nostram declaremus, tristibus misericordiam. Telephi et Pelei fortuna misera nos non movebit, nisi prius ipsi dolore affecti fuerint; sorti suae non congrua dicentes aut languorem afferent aut ludibrio erunt. Prout enim est conditio cujusque, ita debet esse sermo. Qui moestitia gravatur moeste loquatur necesse est, quae sentit, ira inflammatus minaciter, jocans lascive, ad severitatem compositus severe. Nam in animi penetralibus quae enunciantur causam habent et fontem; natura prius exhilarat, perturbat, affligit, tum indicat verbis, quos excitaverit motus. Quodsi quis aliena effutit, summi infimi cachinnant. Judicandum etiam ex sentiendi ratione, quid tribuendum sit dignitati (Deo et heroi), aetati (seni et juveni), domui (matronae et nutrici), vitae generi, (mercatori et agricolae), nationi, (Colcho et Assyrio), patriae (Thebis nato et Argis).

v. 108. Format enim natura prius nos intus ad omnem Fortunarum habitum. Krüger ad hunc versum: Die Rede soll die innere Stimmung darstellen. Diese Stimmung ist aber auf naturgemässe Weise bedingt durch die jedesmaligen Umstände und Verhältnisse (format nos intus natura ad omnem fortunae habitum), was durch ein paar Beispiele erläutert wird. Haec mihi non sufficiunt. Nec omnia placent quae Orellius ad locum explanandum affert. Id enim videtur Horatius dicere velle, animum h. e. id quod vere sentiant, facere poetas idoneos rei. Ipsi viventes et perpetientes, quod agitur,

naturae convenienter omnem fortunam exprimunt. Quae igitur foras dant, ea sapiant id, quod intus est. Inde intelligitur, cur versus 108 proximos versus 105—107 illustret.

v. 114. divusne loquatur an heros. Etsi differunt inter se, quos recenset H. inde a vv. 114—118, tamen est aliquid, quo pares sunt. Ergo posthabenda lectio Davusne.

VI. Personarum quum duplex sit genus, alterum fabulis contineatur, ingenio confingatur alterum, utrique cautio adhibeatur.

vv. 119 — 152.

In illo quidem poeta caveat, ne famam laedat figuratas nobis atque certis finibus coercitas naturas suppeditantem, ut Achillis vehementem, importunam, violentam, Medeae crudelem et callidam, Inus miseram, Ixionis fraudulentam, Jus longinquis itineribus exercitatam, Orestis sceleris conscientia oppressam. In hoc autem nove ficto circumspiciendum, ne partes alienentur et derelinquantur, quae ab initio sunt susceptae. At vero quum proclive sit labi in iis ad effigiem certam formandis, quae experiri licet omnibus ut in medio posita et nondum tractata, viam praestat ingredi tutiorem, qua jam alii praeivere. Scilicet eorum vestigia premens audebis, quod operae pretium erit, modo ne trita recoquas neve aliena ad verbum reddas religionique ducas, quidquam novare stupore quodam impeditus vel consilio studium nimis coartante. Et qui res gestas canere volent cum abhorrere debebunt ab eorum vanitate, qui quod magniloquo ore promiserunt ridicule omittunt, tum ad Homeri sanitatem atque artem adspirare, qui modeste exorsus obscura eximie illuminat, mira narratione allicit spretisque ambagibus ad finem propositum progrediens auditores in medias res abreptos fide sua ac veritate usquequaque delectat eaque praetermittit, quae non apta sunt, alia tam venuste pertexit, ut summus sit omnium partium consensus concentusque.

v. 128. Difficile est proprie communia dicere. Communia sunt quae cuilibet patent, ut libere exspatiari possit ingenium, opposita iis, quae fabulis aut rerum memoria jam finita traduntur. Proprie dicere est ita exprimere, ut speciem quandam accipiant. Cur hoc difficile? Quia non sufficit imitari, quae in vita quotidiana obviam fiunt exempla, sed id agitur, ut in specie illa simul altius quid ac sublimius spectari intelligamus, quod notioni pulchri respondeat, quam in animo insitam habemus. Vere enim

Goethius dicit: (Aus meinem Leben III S. 65) die Aufgabe einer jeden Kunst ist, durch den Schein die Täuschung einer höheren Wirklichkeit zu geben. Ein falsches Bestreben aber ist, den Schein so lange zu verwirklichen, bis endlich nur ein gemeines Wirkliche übrig bleibt.

v. 137. Fortunam Priami cantabo et nobile bellum. Quid offendit in hoc carminis exordio? Primum splendidius est. Quanta enim dignitas Priami, quanta Trojani belli nobilitas. Deinde nimis multa indicat. Nimirum nullum carmen capit tot rerum varietatem. Tum artem ipsam laqueis constringit. Nam subito profundit, quod sensim ac paulatim est protrahendum.

VII. Singularis quidem cura sit in dramatis.

Reputandum enim poetae, qui probari vult spectatoribus,

a) quid partes requirant.

vv. 153 — 178.

Quum cardo rei vertatur in moribus eorum, qui in scenam prodeunt, recte describendis, suum quidque habeat. Plurimum enim refert, utrum puerum loquentem faciat poeta, qui sermonem ab altrice et in scholis didicit secureque incedit, ad colludendum promtus et ad irascendum eodemque momento placabilis, an juvenem spectandum praebeat e custodia paedagogorum molesta exemptum, qui venandi certaminumque campestrium studio ducitur, mobilis et flexibilis, prudenti consilio infensus, utilia incuriose negligens, pecuniam profuse perdens sibique praefidens, acer et inconstans, an viri naturam informet, cujus interest, ut opibus, gratia, honoribus polleat vitaeque gravitatem retineat, an senilis aetatis difficultatem ostendat avare misereque bona corradentis nec partis sapienter fruentis itemque segnitie, cunctatione, morositate et iniquitate notabilis vitaeque tenacis. Videlicet ut anni sunt, ita homines sentiunt, quam diversitatem qui observaverit non confundet discrepantia.

v. 153. Tu, quid ego rell. Juvat transcribere quae leguntur in Aristotel. rhet. II, 12. ita quidem, ut distinctis litteris notem, quae Horatii animo videntur obversata esse. ἡλικίαι δ' εἰσὶ νεότης καὶ ἀκμὴ καὶ γῆρας . . . οἱ μὲν οὖν νέοι τὰ ἤθη εἰσὶν ἐπιθυμητικοί, καὶ οἷοι ποιεῖν ὧν ἂν ἐπιθυμήσωσιν. Καὶ τῶν περὶ τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν μάλιστα ἀκολουθητικοί εἰσι . . . εὐμετάβολοι δὲ καὶ ἁψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχέως δὲ παύονται· ὀξεῖαι γὰρ αἱ βουλήσεις καὶ οὐ μεγάλαι,

ὥσπερ αἱ τῶν καμνόντων δίψαι καὶ πεῖναι. καὶ θυμικοὶ καὶ ὀξύθυμοι
καὶ οἷοι ἀκολουθεῖν τῇ ὁρμῇ καὶ ἥττους εἰσὶ τȣ̃ θυμȣ̃. διὰ γὰρ
φιλοτιμίαν οὐκ ἀνέχονται ὀλιγωρούμενοι, ἀλλ' ἀγανακτοῦσιν, ἂν οἴωνται
ἀδικεῖσθαι. καὶ φιλότιμοι μέν εἰσι, μᾶλλον δὲ φιλόνικοι· ὑπεροχῆς
γὰρ ἐπιθυμεῖ ἡ νεότης, ἡ δὲ νίκη ὑπεροχή τις. καὶ ἄμφω ταῦτα
μᾶλλον ἢ φιλοχρήματοι· φιλοχρήματοι δὲ ἥκιστα διὸ τὸ μήπω
ἐνδείας πεπειρᾶσθαι . . . καὶ οὐ κακοήθεις, ἀλλ' εὐήθεις διὰ τὸ μήπω
τεθεωρηκέναι πολλὰς πονηρίας. καὶ εὔπιστοι διὰ τὸ μήπω πολλὰ ἐξηπα-
τῆσθαι· καὶ ἐνέλπιδες· ὥσπερ γάρ οἱ οἰνωμένοι, οὕτω διάθερμοί εἰσι οἱ
νέοι ὑπο τῆς φύσεως· ἅμα δὲ καὶ διὰ τὸ μήπω πολλὰ ἀποτετυχηκέναι. καὶ
ζῶσι τὰ πλεῖστα ἐλπίδι· ἡ μὲν γὰρ ἐλπὶς τȣ̃ μέλλοντός ἐστιν, ἡ δὲ μνήμη
τοῦ παρῳχομένου, τοῖς δε νέοις τὸ μὲν μέλλον πολὺ, τό δὲ παρεληλυθὸς
βραχύ· τῇ γὰρ πρώτῃ ἡμέρᾳ μεμνῆσθαι μὲν οὐδὲν οἴονται, ἐλπίζειν δὲ
πάντα. καὶ εὐεξάπατοί εἰσι διὰ τὸ εἰρημένον· ἐλπίζουσι γὰρ ῥᾳδίως· καὶ
ἀνδρειότεροι· θυμώδεις γὰρ καὶ εὐέλπιδες, ὧν τὸ μὲν μὴ φοβεῖσθαι, τό δὲ
θαρρεῖν ποιεῖ· οὔτε γὰρ ὀργιζόμενος οὐδεὶς φοβεῖται, τό τε ἐλπίζειν ἀγα-
θόν τι θαρραλέον ἐστίν. καὶ αἰσχυντηλοί· οὐ γάρ πω καλὰ ὑπολαμβάνουσιν,
ἀλλὰ πεπαίδευνται ὑπὸ τȣ̃ νόμȣ μόνον· καὶ μεγαλόψυχοι· οὔτε γὰρ ὑπὸ
τȣ̃ βίου πω τεταπείνωνται, ἀλλὰ τῶν ἀναγκαίων ἄπειροί εἰσι καὶ τὸ ἀξιοῦν
αὑτὸν μεγάλων μεγαλοψυχία· τοῦτο δ' εὐέλπιδος. καὶ μᾶλλον αἱροῦν-
ται πράττειν τὰ καλὰ τῶν συμφερόντων· τῷ γὰρ ἤθει ζῶσι μᾶλλον
ἢ τῷ λογισμῷ, ἔστι δ' ὁ μὲν λογισμὸς τȣ̃ συμφέροντος, ἡ δὲ ἀρετὴ τȣ̃ καλοῦ.
καὶ φιλόφιλοι καὶ φιλέταιροι μᾶλλον τῶν ἄλλων ἡλικιῶν διὰ τὸ χαίρειν
τῷ συζῆν καὶ μήπω πρὸς τὸ συμφέρειν κρίνειν μηδέν, ὥστε μηδὲ τοὺς
φίλους. καὶ ἅπαντα ἐπὶ τὸ μᾶλλον καὶ σφοδρότερον ἁμαρτάνουσι
παρὰ τὸ Χιλώνειον· πάντα γὰρ ἄγαν πράττουσιν· φιλοῦσί τε γὰρ ἄγαν
καὶ μισοῦσιν ἄγαν καὶ τἆλλα πάντα ὁμοίως. καὶ εἰδέναι πάντα οἴονται καὶ
διισχυρίζονται· τοῦτο γὰρ αἴτιόν ἐστι καὶ τοῦ πάντα ἄγαν· καὶ τὰ ἀδι-
κήματα ἀδικοῦσιν εἰς ὕβριν καὶ οὐ κακουργίαν, καὶ ἐλεητικοί διὰ τὸ πάντας
χρηστοὺς καὶ βελτίους ὑπολαμβάνειν· τῇ γὰρ αὑτῶν ἀκακίᾳ τοὺς πέλας
μετροῦσιν, ὥστ ἀνάξια πάσχειν ὑπολαμβάνουσιν αὐτούς· καὶ φιλαγέλω-
τες διὸ καὶ εὐτράπελοι· ἡ γὰρ εὐτραπελία πεπαιδευμένη ὕβρις ἐστίν.

v. 13. — — — — οἱ δὲ πρεσβύτεροι καὶ παρηκμακότες σχεδόν ἐκ τῶν
ἐναντίων τούτοις τά πλεῖστα ἔχουσιν ἤθη· διά γὰρ τὸ πολλὰ βεβιωκέναι
καὶ πλείω ἐξηπατῆσθαι καὶ ἡμαρτηκέναι, καὶ τὰ πλείω φαῦλα εἶναι τῶν
πραγμάτων, οὔτε διαβεβαιοῦνται οὐδὲν, ἧττόν τε ἄγαν ἅπαντα
ἢ δεῖ. καὶ οἴονται, ἴσασι δ' οὐδέν, καὶ ἀμφισβητοῦντες προσ-
τιθέασιν ἀεὶ τὸ ἴσως καὶ τάχα, καὶ πάντα λέγουσιν οὕτω, παγίως
δ' οὐδέν. καὶ κακοήθεις εἰσίν· ἔστι γάρ κακοήθεια τὸ ἐπὶ τὸ χεῖρον
ὑπολαμβάνειν πάντα. ἔτι δὲ καχύποπτοί εἰσι διὰ τὴν ἀπιστίαν, ἄπιστοι δὲ
δι' ἐμπειρίαν. καὶ οὔτε φιλοῦσι σφόδρα οὔτε μισοῦσι διὰ ταῦτα,
ἀλλὰ κατὰ τὴν Βίαντος ὑποθήκην καὶ φιλοῦσιν ὡς μισήσοντες καὶ μισοῦσιν ὡς
φιλήσοντες. καὶ μικρόψυχοι διὰ τὸ τεταπεινῶσθαι ὑπὸ τȣ̃ βίου οὐ-
δενὸς γὰρ μεγάλου οὐδὲ περιττοῦ, ἀλλὰ τῶν πρός τὸν βίον ἐπιθυμοῦσιν·

καὶ ἀνελεύθεροι· ἕν γάρ τε τῶν ἀναγκαίων ἡ οὐσία, ἅμα δὲ καὶ διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἴσασιν, ὡς χαλεπὸν τὸ κτήσασθαι καὶ ῥᾴδιον τὸ ἀποβαλεῖν. καὶ δειλοὶ καὶ πάντα προφοβητικοί. ἐναντίως γὰρ διάκεινται τοῖς νέοις· κατεψυγμένοι γάρ εἰσιν, οἱ δὲ θερμοί. ὥστε προωδοποίηκε τὸ γῆρας τῇ δειλίᾳ· καὶ γὰρ ὁ φόβος κατάψυξίς τις ἐστίν. καὶ φιλόζωοι καὶ μάλιστα ἐπὶ τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ διὰ τὸ τοῦ ἀπόντος εἶναι ἐπιθυμίαν καὶ οὗ δὲ ἐνδεεῖς, τούτου μάλιστα ἐπιθυμεῖν· καὶ φίλαυτοι μᾶλλον ἢ δεῖ· μικροψυχία γάρ τις καὶ αὕτη. καὶ πρὸς τὸ συμφέρον ζῶσιν, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸ καλόν, μᾶλλον ἢ δεῖ, διὸ τὸ φίλαυτοι εἶναι· τὸ μὲν γὰρ συμφέρον αὐτῷ ἀγαθόν ἐστι, τὸ δὲ καλὸν ἁπλῶς. καὶ ἀναίσχυντοι μᾶλλον ἢ αἰσχυντηλοί· διὰ γὰρ τὸ μὴ φροντίζειν ὁμοίως τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος ὀλιγωροῦσι τοῦ δοκεῖν. καὶ δυσέλπιδες διὰ τὴν ἐμπειρίαν· τὰ γὰρ πλείω τῶν γινομένων φαῦλά ἐστιν· ἀποβαίνει γοῦν τὰ πολλὰ ἐπὶ τὸ χεῖρον· καὶ ἔτι διὰ τὴν δειλίαν. καὶ ζῶσι τῇ μνήμῃ μᾶλλον ἢ τῇ ἐλπίδι· τοῦ γὰρ βίου τὸ μὲν λοιπὸν ὀλίγον, τὸ δὲ παρεληλυθὸς πολύ, ἔστι δὲ ἡ μὲν ἐλπὶς τοῦ μέλλοντος, ἡ δὲ μνήμη τῶν παροιχομένων. ὅπερ αἴτιον καὶ τῆς ἀδολεσχίας αὐτοῖς· διατελοῦσι γὰρ τὰ γενόμενα λέγοντες· ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται· καὶ οἱ θυμοὶ ὀξεῖς μέν εἰσιν, ἀσθενεῖς δέ, καὶ αἱ ἐπιθυμίαι αἱ μὲν ἐκλελοίπασι, αἱ δὲ ἀσθενεῖς εἰσιν, ὥστε οὔτ' ἐπιθυμητικοὶ οὔτε πρακτικοὶ κατὰ τὰς ἐπιθυμίας, ἀλλὰ κατὰ τὸ κέρδος. διὸ καὶ σωφρονικοὶ φαίνονται οἱ τηλικοῦτοι· αἵ τε γὰρ ἐπιθυμίαι ἀνείκασι καὶ δουλεύουσι τῷ κέρδει καὶ μᾶλλον ζῶσι κατὰ λογισμὸν ἢ κατὰ τὸ ἦθος· ὁ μὲν γὰρ λογισμὸς τοῦ συμφέροντος, τὸ δ' ἦθος τῆς ἀρετῆς ἐστιν. καὶ τἀδικήματα ἀδικοῦσιν εἰς κακουργίαν, οὐκ εἰς ὕβριν. ἐλεητικοὶ δὲ καὶ οἱ γέροντές εἰσιν, ἀλλ' οὐ διὰ ταὐτὸ τοῖς νέοις· οἱ μὲν γὰρ διὰ φιλανθρωπίαν, οἱ δὲ δι' ἀσθένειαν· πάντα γὰρ οἴονται ἐγγὺς εἶναι αὑτοῖς παθεῖν, τοῦτο δ' ἦν ἐλεητικόν· ὅθεν ὀδυρτικοί εἰσι καὶ οὐκ εὐτράπελοι οὐδὲ φιλογέλοιοι· ἐναντίον γὰρ τὸ ὀδυρτικὸν τῷ φιλογέλωτι.

τῶν μὲν οὖν νέων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τὰ ἤθη τοιαῦτα .....

c. 14. οἱ δὲ ἀκμάζοντες φανερὸν ὅτι μεταξὺ τούτων τὸ ἦθος ἔσονται, ἑκατέρων ἀφαιροῦντες τὴν ὑπερβολὴν καὶ οὔτε σφόδρα θαρροῦντες (θρασύτης γὰρ τὸ τοιοῦτον) οὔτε λίαν φοβούμενοι, καλῶς δὲ πρὸς ἄμφω ἔχοντες, οὔτε πᾶσι πιστεύοντες οὔτε πᾶσιν ἀπιστοῦντες, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἀληθὲς κρίνοντες μᾶλλον, καὶ οὔτε πρὸς τὸ καλὸν ζῶντες μόνον οὔτε πρὸς τὸ συμφέρον, ἀλλὰ πρὸς ἄμφω καὶ οὔτε πρὸς φειδὼ οὔτε πρὸς ἀσωτίαν, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἁρμόττον. ὁμοίως δὲ καὶ πρὸς θυμὸν καὶ πρὸς ἐπιθυμίαν. καὶ σώφρονες μετ' ἀνδρίας καὶ ἀνδρεῖοι μετὰ σωφροσύνης· ἐν γὰρ τοῖς νέοις καὶ τοῖς γέρουσι διῄρηται ταῦτα. εἰσὶ γὰρ οἱ μὲν νέοι ἀνδρεῖοι καὶ ἀκόλαστοι, οἱ δὲ πρεσβύτεροι σώφρονες καὶ δειλοί. ὡς δὲ καθόλου εἰπεῖν, ὅσα μὲν διῄρηται ἡ νεότης καὶ τὸ γῆρας τῶν ὠφελίμων, ταῦτα ἄμφω ἔχουσιν, ὅσα δὲ ὑπερβάλλουσιν ἢ ἐλλείπουσι, τούτων τὸ μέτριον καὶ τὸ ἁρμόττον. ἀκμάζει δὲ τὸ μὲν σῶμα ἀπὸ τῶν τριάκοντα ἐτῶν μέχρι τῶν πέντε καὶ τριάκοντα, ἡ δὲ ψυχὴ περὶ τὰ ἑνὸς δεῖν πεντήκοντα.

v. 157. **Mobilibusque decor naturis.** Tempora mutantur, nos et mutamur in illis.

v. 161. **Imberbis juvenis.** Retinenda codd. praest. et vett. editt. omnium lectio contra Bentleianam illam Imberbus, quam codd. aliquot habent. Terminatio tert. declin. est etiam in ep. II 1, 85.

v. 164. — **cupidusque et amata relinquere pernix.** Recte Lambinus: In cupiditatibus satietate ac fastidio cito afficiuntur, et quum vehementer concupiscunt tum celeriter concupiscere desinunt.

v. 165. **Conversis studiis.** Mire Hocheder: Mit concentrierten Bestrebungen. Nihil esse potest, nisi: Contra = im Gegentheile.

v. 172. **Dilator, spe longus, iners,** Posteriora verba prius explicant. Dilator est operis, quod longam h. e. longe se extendentem spem concipit et dubitat, quomodo res sint aggrediendae. Verba Aristotelis s. cit.: οἱ πρεσβύτεροι δυσέλπιδες διὰ τὴν ἐμπειρίαν ad hunc locum quum referri nequeant, non erat, quod Dillenburger scriberet: **spe longus** = tardus et difficilis ad sperandum. Ceterum **avidus futuri** dicitur senex, quod τοῦ ζῆν οὐδεὶς ὡς ὁ γηράσκων φιλεῖ, ut est in Soph. Fr. 64 Dind. Krüger male: nach der Zukunft verlangend (geniesst er das Gute nicht, was die Gegenwart bietet). Haec enim aviditas non est causa, cur abstineat praesentibus bonis.

v. 175. — **anni venientes** — **recedentes.** Comment. Cruq: Anni autem venire dicuntur ad quadragesimum sextum usque annum, inde abire jam accedente senectute deficienteque paullatim et corpore et animo, **recedentes** post mediam aetatem.

b) quid ad actionem scenicam pertineat.

vv. 179 — 192.

Ejus certe pars, quae in conspectu est, licet consessum theatralem vehementius moveat, quam quae intra parietes aedium perpetrata narrantur auditoribus, tamen oculis subducatur necesse est, quod aut foedum horrent aut monstruosum oderunt, ut Medeae crudelitates et nefanda facinora Atrei et Procnes Cadmique mirabiles mutationes. Et justus quinque actuum numerus est constituendus in fabulis plausum laturis, ut ne breviores sint neve longiores, nec divinae intercessioni permittendum, quod humanis artibus potest dirimi, nec quarta persona actoribus adjungenda.

v. 184. — facundia praesens. Hoc est: facundia ejus, qui praesens est vel qui in proscenium prodit. Nihil ad rem, utrum facto interfuerit nec ne. Reprobo quod Krüger aliique explanant: Die Beredsamkeit eines Augenzeugen. Facundia enim cernitur in eo, quod nunc narratur.

v. 189. — quinto productior actu. Numerus habetur Romanarum fabularum, quamquam ad eundem revocari potest Graecor. divisio: *πρόλογος, ἐπεισόδια (τρία), ἔξοδος*. Nec tamen obliviscendum, liberiorem fuisse Graecorum fabulam, quam ut numeri alicujus vinculis coerceri se sineret. Cf. C. O. Müller l. c. II p. 68.

v. 192. — quarta loqui persona laboret. Quum adest muta esse debet.

c) quo officio chorus obstrictus sit.

vv. 193 — 201.

Hunc suo loco oportet eodem, quo actorem, uti agendi jure nec, quum carmen inter singulos actus interponat, a re acta declinare, et eos, qui recte faciant, amplecti et adjuvare, perturbatos sedare, verecundis studere, temperantiam, aequitatem, pacem commendare, arcana tacere Deorumque opem implorare atque vindictam.

v. 193. Actoris partes chorus officiumque virile Defendat. Jam alii interpretes verba Aristot. poet. c. 18 s. f. ad hunc locum illustrandum attulere haec: *καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι μὴ ὡς παρ' Εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ*. Denotari autem eam muneris partem, qua chorus perfungatur in dialogo, recte monet Hocheder, quum qui sequuntur versus inde a verbis „neu quid intercinat — superbis“ quid is facere debeat in melicis, praescribant.

v. 197. — et amet peccare timentes. Tuenda haec optimorum librorum omnium scriptura, qua verecundi homines significantur. Lectione altera pacare tumentes a Bentleio immerito defensa ideo carere possumus, quod idem dicit atque proxime antecedentia verba. Iratus enim in priore versus parte ponitur pro quovis homine animi perturbatione commoto.

d) quam vim et rationem musica habeat.

vv. 202 — 219.

Atque primum admonet poeta, quam diversa sit hac in re suae aetatis consuetudo ab antiquitate. Illa usurpat artificiosam et graviter sonantem, haec habebat mitem et modestam, ita tantum comparatam, ut modos melicorum praeiret regeretque et theatrum nondum artum personaret, quo raro veniebant homines pauci

tum et vitae sanctimonia insignes. Deinde causam addit, cur migrarint veterem simplicitatem. Finibus enim populi victoris dilatatis et urbium splendore aucto conviviorumque tempestivorum celebritate adamata quum degenerassent a prisco more, non amplius placebat vetus musica promiscuae per dies festos multitudini et hanc ob causam insipienti. Inde factum, ut tibicen arte mutatus vesteque ornatiore per scenam vagaretur, et chorus lyram, gravem prius, pleniorem ascisceret sermonemque a quotidiano distantem, concitatum, providum, fatidicum, obscurum.

vv. 202 — 219. Tibia non — Delphis. Manifestum est, Horatium hoc loco Romana Graecis miscere ita, ut prior pars utraque contineat, Romana tamen propendeant, posterior inde a v. 216 Graeca una respiciat.

e) quae necessitudo satyricae fabulae cum tragoedia atque comoedia intercedat.

vv. 220 — 250.

Jam primi tragici intellexerunt, fabularum suarum tristitiam et severitatem mitigandam esse liberiore illo atque jocoso lusu, quo satyri spectatores hilararent et ad manendum invitarent in bacchanalium licentia. Sed senserunt iidem, ne in hoc quidem genere abesse posse, quod cum sacris conspiraret. Quocirca qui satyricum carmen condunt memores esse debent, divinitatem quandam et in pulpito decere numina ista agrestia, ne prorsus recedat eorum conditio a tragoediae gravitate, quam in scena excipit satyrica jucunditas, neve haec ipsa inepto sermone se prodat. Nam ut tragica elocutio aspernatur plebeja verba, ita in cognato illo poemate non est orationis pudor abjiciendus. Quoniam autem lascivia et dicacitas a Satyris non est aliena, comparare subit eorum sermonem cum illo, qui comoediae convenit. Neque tamen tantum valet haec similitudo, ut Satyris liceat neglecto omni ornatu vulgariter quidlibet garrire, sordibus et ignobilitate indignis, qua servilis astutia meretricumque acumina taxantur. Quamquam tam prope aberunt a quotidiana consuetudine atque usu loquentium, ut sermo ipsorum a facilitate commendetur necesse sit omnesque se talia carmina pangere posse opinentur, frustra tamen conitentes, quod recondita quaedam ars requiritur ad ordinanda verba et inter se copulanda, quam nemo poterit assequi, nisi qui supra vulgus sapit. Is quoque unus efficiet, ut lingua Deorum silvestrium naturam suam et ingenium ostendat, remotum illud quidem non minus a vafritia atque mollitie, quam ab obscoenitate urbanorum probrisque, quibus male afficiuntur politiores homines ab imperitae et indoctae multitudinis judicio dissentientes.

v. 220. **Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum, Mox etiam agrestes Satyros nudavit,**
Quaeritur, cur Horatius hoc loco de carmine Satyrico loquatur? Respondent interpretes, ansam ei praebuisse chori eloquium, quod in versibus antecedentibus descripserit. Nulla enim re aptius et dilucidius potuisse demonstrari, quanta potestas esset in apta verborum collocatione et conjunctione ad animos novitatis illecebris nativoque orationis decore et proprio oblectandos, quam mixto illo satyricae fabulae colore, qui optime doceret, quid rei conveniret. Audio, etsi velim addidissent, ideo etiam viam munitam esse ad Satyrorum commemorationem, quod in primordiis tragoediae utrorumque vices fuissent unitae, et postea in certaminibus musicis ternas tragoedias singulae satyricae sequerentur. At vero quid attinebat de carminis satyrici virtute Romanis exponere, quos constat ejus expertes fuisse? Dicam quod sentio. Ut noluerit Horatius edita hac epistola doctrinam sibi sumere aetati suae, qua comprehenderet praecepta, quae de arte poetica tradita sunt, omnia, Pisonesque Musarum sacris rite initiare, hoc tamen nemo ibit infitias, eum passim disserere de poetarum studiis et rectis et perversis. Quod quapropter facere instituerit non videtur obscurum esse. Magna tum controversia fuit inter antiquitatis amatores et recentioris elegantiae praecones. Illi Livios, Pacuvios, Ennios, Attas, id aetatis alios praedicabant, hi Graecos poetas laudabant ut unos venustatis antistites. In quibus praeconibus Horatius potissimum antiquarios istos perstrinxit et suggilavit, quod perversitate sua impedire viderentur, quo minus pulchri sensus aliquando excitaretur et vero etiam deplorata rei ludicrae labes ad frugem corrigeretur. Quid igitur mirum, si ad refellendos adversarios fabularum Graecarum memoriam et alias recolit et in epistola ad Pisones data dramaticum genus accuratius explicat? Id autem quum sibi proposuisset, non potuit de satyrico reticere. Nempe pars fuit fabularum Graecarum.

v. 227—230. Ne quicunque Deus — captet. Si qui Dii vel heroes intererunt ludo satyrico, quos jam viderunt spectatores in tragoediis, ii cavendum est ne dignitatem priorem ita dedecorent, ut aut humilius aut tumidius loquantur.

v. 231. Effutire leves indigna tragoedia versus. Ad haec Krüger: „Die Tragödie personificirt; intererit Satyris, sofern sie mit Satyrspielen in Verbindung steht, welche unmittelbar nach den tragischen Stücken aufgeführt werden. Sie ist indigna effutire leves versus, Verse leichtfertiger Art wie sie im Satyrspiel vorkommen. Deshalb wird sie „etwas verschämt" unter den Satyrn erscheinen. — Ut matrona. Die ehrbare Frau wird bei diesen Tänzen doch immer in den Schranken des Anstandes sich halten, pudibunda erscheinen." Non adstipulor. Tragicum enim hoc loco pro tragico illo, quod in satyrica fabula ipsa apparere debet, accipio. Ita demum quadrat comparatio tragoediae cum matrona in sacris saltante et usus vocab. paullum pudibunda. Ut enim mulieri honestae ruborem affert saltatio publica etsi sacra, ita tragicum illud pudore quasi suffusum fingitur, quod conjunctum sit cum Satyris protervis.

v. 240. Ex noto f. q. v. 243 de medio sumtis.

v. 245. velut innati triviis ac paene forenses h. e. urbani, qui per loca publica semper vagantur. Horum pars juveniliter gestiens homines belli sunt amatorio sermone gementes (nimium teneris juvenentur versibus), pars dissoluti et lascivi, qui obscoena rustice blaterant atque probrosa (immunda crepant igominiosaque dicta). His opponuntur silvestres naturae simplices et non fucatae, in quibus neque cincinni locum habent neque impuritates.

f. cui legi versus ipsius comparatio serviat.

vv. 251 — 274.

Et jambus quidem regnat in fabulis vegetus ille et alacer, quod longa syllaba brevi annectitur, et trimetris jambicis nomen addens, quod binis pedibus singula metra constituit, etsi seni ictus numerantur, suamque mensuram atque naturam aequabiliter servans. Sed tamen factum est praeterito tempore, ut cursum studio gravitatis inhibiturus, relicto pristino rigore, spondeos ponderosos benigne et liberaliter admitteret, loco secundo tantum et quarto socium non patiens. Etsi Accius neque hunc usum respexit et Ennius, introductis longis pedibus, aut festinatione aut ignorantia artem turpiter neglexit. Verum enimvero haec vitia non omnes animadvertunt carminum existimatores, et Romanis poetis id impune erat, quod non est condonandum. Nam quid decet poetam prudentem? Num sollemniter peccare an omnium oculos in se conjectos esse putare, ut se tueatur et caute versetur in spe veniae ipsa? At ita tantum vitabit, ne culpari possit, laude non erit dignus. Nam iis, qui laudem appetunt, Graeci potius semper ante oculos obversentur ut vera exempla. Quae quum ignota essent, antiqui Romani admirabantur Plautinos versus et salse dicta nimis indulgenter ex judicio eorum, qui intelligunt, quantum differant joci rustici a festivis leporibus, vereque perspiciunt qui versus sint bene tornati.

v. 251. Syllaba longa brevi. Tres internoscit Horatius trimetri jambici aetates. Prima inde a vv. 251—254 descripta puris jambis utebatur (primus ad extremum similis sibi) altera, quam vv. 255—258 indicant, spondeos intermiscebat, consilio tamen et arte temperata (spondeos stabiles in jura paterna recepit), tertia vv. 259—262 comprehensa incuriose et temere rem confundebat. Ab incunabulis igitur quum exorsus sit poeta, mihi non mirum videtur, „cur tam trivialem pedis jambici definitionem praemiserit." Secunda autem aetas progressum artis et consummationem apud Graecos significat. Verba quiden puncti signo ab antecedentibus separanda Non ita pridem negotium facessunt. Nimirum „in antiquissimis trimetris Graecis jam

reperiuntur spondei.“ Doederlini explicationi in libris: Lectt. Horat. dec. et Reden und Aufsätze t. II. p. 235 propositae non possum subscribere, quia ei refragratur sententia, quam de universo loco habeo. Sed quidni credibile sit, Horatium de industria mutasse tempus, ut acerbius illuderet licentiam poetarum Romanorum, quos tertia aetas tulit, ignorantium scilicet, non ita pridem legem a Graecis sancitam esse, qua certa tantum sede atque finita spondei adhiberentur?

v. 265. Idcircone vager scribamque licenter? an omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca

Scripsi olim ad hos versus haec. „Sententia est: Utrum negligam leges metricas venia judicum rei imperitorum fretus an peritos me habere existimem, quos non fugiat, si qua peccaverim, ut tutus sim a vituperatione et caveam peccata, etiamsi, ut nunc sunt judices, me veniam vitiorum impetraturum esse sperare possum? Sic quidem, ut brevi dicam, opprobria vitabo, quum viderint industriam meam et curam, laudem non consequar. Nam non satis est, me immunem esse malorum, bonos versus facere debeo. At hoc mihi non continget uno judicum vel severissimorum respectu, sed tum demum, quum Graecos simul imitabor.“ Et nunc quidem in hac loci explicatione acquiescere malo, quam de interpunctione vulgari dubitare. Vereor enim, ut omnes scrupulos interpretibus exemerit, qui, interrogatione verbo mea terminata, quae sequuntur verba Tutus — cautus respondentis Horatii esse nuperrime censuit. Hanc enim ad priora responsionem facile, opinor, ipsi mente supplemus, quid ad posteria dicat poeta sciscitantes. Ceterum cf. Doed. Scherflein p. 27.

g. quae fuerit origo et progressus fabularum.

vv. 275—294.

Postquam Thespis tragoediae inventor ludum per actores faecibus oblitos de plaustris faciendum curavit adjuncto cantico, Aeschylus reperta persona syrmateque decoro et scenam modice instruxit et fabulas docuit grandiloquas altasque. Quos tragicos quum laudabiliter secuta esset comoedia, mox effrenata licentia injuriose exsultans jure suo et choro privata est, ut mansuetiori aetati turpiter cederet. Et Romani quoque in utroque genere quid possent experti sunt non solum aliena imitantes, sed excolentes sua, et in tragoediis et in comoediis summa laude dignissimi, si plus temporis studiique in versibus effingendis posuissent, qui non placent, nisi diu et diligentissime limati et politi.

v. 276. Dicitur et plaustris vexisse poemata Thespis. Scripsit C. O. Müller in libro: Geschichte der griechischen Literatur II. p. 32.: Wir beseitigen hiebei ganz die vielverbreiteten und schon von Horaz angenommenen Vorstellungen

von der Erfindung der Tragödie bei der Weinlese, den mit Hefen beschmierten Gesichtern, dem Karren, mit dem Thespis auf dem Lande von Attika herumzog ꝛc., indem dieß Alles auf einer Uebertragung der Ursprünge der Komödie auf die Tragödie beruht. Diese hat sich wirklich an den ländlichen Dionysien oder dem Weinfest entwickelt; Hefensänger (τρυγῳδούς) nennt noch Aristophanes seine eigenen Zunftgenossen, aber niemals die tragischen Dichter und Schauspieler; die Karren passen nicht zu dem Dithyrambos, der von einem stehenden Chor gesungen wird, sondern zu einem Zuge, wie er bei der ältesten Komödie vorkam; auch hatte man bei mehreren Festen den Gebrauch, von Wagen herab Spott und Schimpfreden (σκώμματα ἐξ ἁμαξῶν) auszustoßen. Conferenda etiam quae Bernhardy in libro: Grundriss der griechischen Literatur II. p. 566 diputat.

v. 283. — Chorusque
Turpiter obticuit.

Turpe fuit, quod coactus desiit canere.

v. 288. Vel qui praetextas vel qui docuere togatas. Praetextae = tragoediae, togatae = comoediae. Ceterum conf. Bernhardy: Grundriss der roemisch. Lit. ed alt. p. 347. Niebuhr dicit in libro: Römische Geschichte I. ed alt. p. 543: Die Praetextata hatte nur Analogie zur Tragödie; sie stellte die Thaten römischer Könige und Feldherrn dar (Diomedes III. p. 487), und hiernach versteht es sich von selbst, daß ihnen wenigstens die Einheit der Zeit griechischer Tragödien fehlte, daß sie Historien, wie die shakespearschen waren. De togatis cf. G. Bernhardy in libro I. p. 343 rell.

VIII. Romanis ne officiat vana opinati ingenii species.

vv. 295 — 308.

Bona pars poetarum stolide sumens, quod Democritus de furore poetico dixit, artis operam nihili facit, naturae felicitatem jactat, insania nimirum cognoscendam h. e. squalore quodam corporis, discessu in solitudines hominumque fuga. Hac autem stultitia nullo medicamento sanabili tantum abest, ut nomen poetae et existimationem adipiscantur, quam quaerunt, ut deridiculo sint sanis. Nec Horatius parcit cavillari, purgationem, qua verno tempore menti suae prospiciat, jocose incusans, quod obstet, quominus istis palmam praeripiat. Sed consolatur se, quod nolit ad tantum fastigium ascendere, damnumque, quod carminum neglectio importare possit, resarcire studet libero judicio, quo expromit, unde artis praesidia sint petenda, quo studio laus poetae paretur, quo rei scientia ducat, quo ignorantia.

v. 303 — verum
Nil tanti est. Non ita magni mea interest, ut meliora poemata faciam; nulla omnino facere volo. Ergo rell.

v. 307. Unde parentur opes Non ingenii, ut Orellius putat, sed artis. Doctrinae enim praesidia spectat Horatius ea, de quibus Quinctilianus ita loquitur in institt. oratt. lib. X. 10, 1, 5: Non ergo dubium est, quin ei velut opes sint quaedam parandae, quibus uti, ubicunque desideratum erit, possit. Eae constant copia rerum ac verborum.“ Hanc ob causam Socraticorum libros legendos censet, cf. v. 310 et Cic. de off. I. 29. Quid alat formetque poetas. Exercitatio virium intelligitur atque Graecorum imitatio; cf. v. 322. Quid deceat, quid non. Hoc illustrant vv. 312 et seqq.

IX. Ante omnia igitur sapere discant.

vv. 309 — 322.

Ad hoc qui adductus est summum attigit, nec unquam quid dicat haerebit is, quem Socraticorum libri erudiverunt. Honesti enim disciplinam quum perceperit, qua officia continentur civium, amicorum, liberorum, fratrum, hospitum, senatorum, judicum, belli ducum, in promtu ei est, quid cuique personae conveniat. Tamen et vitam ipsam moresque hominum intueri expediet bono poetae ad imitationis sermonisque proprietatem. Fieri enim solet, ut loci veritate sua eximii et distincte recteque descriptae partes in fabulis alioquin illepidis invenustisque et verborum gravitate arteque ipsa destitutis vulgo magis arrideant, quam versus numerose quidem cadentes, sed inanes sententiis.

v. 317. Respicere exemplar vitae. Non hoc est supervacaneum monere. Ex schola enim poeta discere potest, quomodo quisque sentire atque etiam qua de causa quidque sentire debeat, ex vita autem, quid quisque loquatur.

X. Pulchri sensum alant et exerceant.

vv. 323 — 332.

Sed Graecis tantum naturae bonitate obtigit, ut ingenii virtute eminentes elegantiae essent studiosi nihilque nisi laudem ipsam sequerentur. Romanis impedimento est, quod a teneris ungniculis ad lucrum faciendum praeparantur, e ludimagistris id unum audientes, compendiariam esse rei augendae h. e. honoris viam, si quis artis numariae peritus celeriter rationes computare possit. Non igitur mirum est, quod tantis sordibus infecti nulla carmina progignunt, quae asservari velis.

v. 328. Uncia, quid superat? Poteras dixisse! Triens. Eu! Sic, opinor, interpungendum. Incisio post v. dixisse facta reddit sermocinationem alacriorem. Ad verba Poteras dixisse recte annotat Dillenburger: Magistri sunt puerum non reprehendentis, sed leniter excitantis et ipsa laude ad cogitandum stimulantis.

XI. Meminerint, aut prodesse debere poetas aut delectare aut utrumque.

vv. 333 — 346.

Primum ut prospere cedat, brevitate opus est et perspicuitate stricta, qua extemplo clara sint dicta et infixa in mentibus sedeant, alterum consequuntur, si verisimilia sunt, quae jucunda esse volunt, ne fides fabulae derogetur ut monstris Lamiae pueros devorantis. Itaque offeratur, quod seniorum prudentia et sobrietas arripiat et quod conducat juniorum fastidio atque levitati. Sed omnes maxime laudabunt, quod et suave esse et fructuosum intellexerint. Id quidem poema librarios lucro suo locupletans late diffundetur nomenque scriptoris celebrati ad immortalitatis memoriam consecrabit.

vv. 341 seqq. Centuriae seniorum agitant expertia frugis,
Celsi praetereunt austera poemata Ramnes:
Omne tutit punctum, qui miscuit utile dulci.

Etsi sunt carmina veluti didactica, in quibus doctrina aliqua tractatur ad prospicienda vitae commoda, alia, ut lyrica quaedam et comoedia, oblectandis tantum animis destinantur, illa maturae aetati gratissima, haec juventuti, tamen possunt in omnibus seria jucundis misceri. Quod qui praestiterit, omnibus lectoribus probatur. De pluribus autem Horatium loqui carminum generibus, non de uno dramatico mihi persuasum est.

XII. Ne exspectentur opera perfecta omnibusque numeris absoluta.

vv. 347 — 365.

Eadem quidem ratio est poetae atque musici sagitariique. Ut nonnunquam lyra discordat etsi plectro scienter percussa nec sagitta semper eo pervenit, quo missa est dextere, ita excidunt in carminibus aliquando peccata inopinanter, quae imbecillitas humana parum potest cavere. Hanc ob causam iis ignoscatur, si

pauca sunt in plurimis bonis. Sin autem poeta similis scribae mali in eadem vitia usque delabentis, quantumvis castigatus sit, vel fidicinis sonos discrepantes iisdem nervis semper excitantis, saepe multumque delinquit, cum Choerilo isto ludibrio est, cujus raras virtutes ita miramur, ut magis rideamus. Simulque male nos habet, si quando vitium Homero ipsi obrepserit, quanquam iniquum est, postulare, ut in tanto opere omnia niteant. Sed videntur tamen quaedam vitia, quae non sunt. Res certe non est opinione quadam praejudicata decernenda, sed ex eo, quod poeta sibi proposuit, consideranda simili modo, quo tabulas pictas contemplari solemus. Quaedam enim carmina admittunt propiorem adspectum ut singulis partibus consummata, alia adumbrata tantum et lineamentis efficta volunt quasi e longinquo spectari, ut universa forma intuentes moveat, alia chartis illusa veniam poscunt, alia splendent omni ornatu nec refugiunt severissimos judices, alia occasione data nata sunt semel placitura, alia tanta arte composita, ut saepissime lecta maxime delectent.

v. 358. Quem bis terque bonum cum risu miror, et idem Indignor

Probo optimorum codd. scripturam. Bentleius, quem Hocheder, Orelli et Dillenburger secuti sunt, bis terve praeferens respuit vulgatam, quod bis terque ut ter quaterque habeat crebritatis significationem, raritatis autem bis terve. At si recepta lectio numerum infinitum indicet, tamen hoc loco in eo non est tanta laus, ut sententiae Horatii resistat. Verba et idem explicat Krüger nostro verbo: dessenungeachtet. Non placet. Hoc dicit Horat.: Ut cum risu miror Choerilum, ita indignor, quandocunque dormitat Homerus. Indignatur autem, quod vel praestantissimum ingenium naevos suos habet. Certa vitia Homeri respexisse Horatium vix crediderim.

v. 363. Haec amat obscurum. Quid haec sibi velint ex verbis proxime sequentibus patet. Carmina significantur, quae non aurificis statera, sed quadam vulgari trutina examinare debemus.

XIII. Facessat mediocritas, sollertia et emendatio valeant.

vv. 366 — 390.

Etsi major Pisonum paternis praeceptis suoque ingenio ipse ad meliora convertitur, tamen, quum seculum in fraudem illicere possit ignorans, quid in praepostera poetarum dignatione periclitetur, non abs re erit, memoriae ejus inculcare, alias quasdam artes, ut jurisconsultorum et causidicorum, deteriores cultores ferre et honorare, poesin omne, quod vulgare est et mediocre, volentibus hominibus,

Diis, pilisque bibliopolarum ipsis aversari. Quemadmodum enim conviviorum jucunditatem symphonia dissonans odoresque ingrati et corrupta bellaria disturbant non aptis facile carentem, ita carmina voluptate, cujus causa orta sunt poemata in pessimis, si quid deest ad praestantiam, habenda, sinistra ingenia defraudant. At stulti isti ad certamina in Campo Martio exercitationibusque ludicris ineunda vires explorant, ne turpiter peccent, non item ad poeticam facultatem, cui abunde suppetere animum imperitissimi cujusque autumant, si ortu nimirum insignis est et opibus moribusque. Ab his igitur aversus Piso, qua est indole spei plena, videbit, ne quid iratis Diis hoc est reluctante natura moliatur, et, si quid tamen scripserit, id criticorum intelligentium judicio subjiciet diuque in eo limando elaborabit ante quam in vulgus emanet, unde revocari non poterit.

v. 373. — non concessere columnae. Orellius ad haec: Nullos videlicet invenient emtores. Krüger idem judicans dicit: Auch die Buchhändler verschmähen das mittelmässige Gedicht. Invenuste uterque. Arnold: Nach einer Lesart folgen die Worte so: Non Di, non homines, non etc. Wir haben in der Uebersetzung diese Folge gewählt, weil es eine besondere Steigerung in umgekehrter Folge gibt. 1) die Götter, die das Beste fordern und die ungenügsamsten sind, 2) die Menschen, die schon mit Mässigerem vorlieb nehmen, endlich 3) die Steine, die sonst gewiss duldsam sind, aber dennoch solche Gedichte nicht ertragen wollen. Die Ausleger, welche die Säulen für die Buchhändler genommen wissen wollen (indem diese dort ihren Standort gehabt cf. Sat. I. 4, 71) mögen sehen, wie sie sich mit der Logik oder mit den Buchhändlern abfinden, wenn sie sagen: weder Götter, noch Menschen, noch Buchhändler. Hocheder: Feas Erklärung, als hätte man unter columnae die roemische plebs zu verstehen, würde, wie mir scheint, den ganzen satirischen Muthwillen des Dichters aufheben. Es ist aber die höchste Verlebendigung (?) der Sache, wenn selbst die fühllosen Säulen sich der Gemeinschaft mit mittelmässigen Dichtern weigern. Vergl. eine ähnliche Hyperbel II. Sat. 3, 8. Inverso ordine verborun: Non Di, non homines, quem Arnold cum aliis codd. antiquiss. auctoritate recepit, facile supersedemus. At recte idem statuit cum Hochedero de columnis, quas ne pro bibliopolis dictas sumas, venusti sensus vetat. Columnae i. e. pilae librariorum erubescunt mediocrium poetarum opera exponentes.

v. 374. Ut gratas inter mensas. Sunt jucundae, quae offenduntur injucundis musicorum sonis, ut lectores ingratis carminibus. Hoc etsi quivis intelligit ipse, tamen moneo propter Hochederi explicationem disconvenientem vocis gratas.

XIV. Constet, tantam esse laudem poeseos et efficacitatem, ut nemini pudori sit.

vv. 391 — 407.

Beneficia enim uberrima contulit in vitam communem. Nam et Orpheus priscos homines e feritate et asperitate ad mansuetudinem et cultum humanum divino quodam impulsu traduxit, mitigasse ideo immanes bestias dictus, et Amphion ad societatem eos coegit et conjunctionem, qui tantum canendo valuit, ut res inanimas dulcedine carminum abripuisse credatur. Sapientium profecto poetarum hoc munus fuit, ut aetatem assuescerent, communibus pro communibus uti, privatis ut suis, divinaque separare ab humanis, et ut matrimonio compescerent incertam venerem rapientes, suosque ad condendas urbes congregarent et jura legibus describerent. Magnus is erat honos et dignitas. Tum insecuta sunt tempora, quibus Homerus et Tyrtaeus ad bellicam virtutem inflammabant, oracula versibus vaticinabantur, carmina vitam praeceptis instruebant principumque praeconia faciebant atque scenica venustate spectatores capiebant et recreabant a laborum defatigatione. Quae bona quum poetae impertiant, non est, quod vitio vertatur, si quis Musarum et Apolinis sacris operetur h. e. se in versus det.

v. 406. — ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae sollers et cantor Apollo.

Haec verba primariam sententiam continent versibus 391—405 subjectam. His enim Horatius videtur judicii de poematis facti aculeos evellere voluisse ex animo Pisonis vel aliorum, quos idoneo ingenio praeditos intellecta rei difficultate retentum iri putaret, quominus carmina pangerent. Hos igitur confirmaturus arduam illam artem profano vulgo interdicendam, quum meritis suis nobilitata sit virtuteque, dignissimam esse dicit, cui operam navent, qui altius quid spirent. Nuper Doederlinus novam iniit hujus loci explicandi rationem. Ac primum censet, versus inde a v. 390—407 neque cum iis, quae ante leguntur, neque cum sequentibus cogitationis quadam colligatione connectendos, sed per se spectandos esse ita, ut poeseos comprehendant progredientibus aetatibus excultae historiam, cui adhortatio adjuncta sit, qua ad lyricam poesin adamandam poeta compellere velit vv.

Ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae sollers et cantor Apollo.

Quod enim Musa lyrae sollers et cantor Apollo nominentur, id meminisse artis lyricae, quae inprimis in tutela Apollinis fuerit. Nam Horatii aetate, quum dura illa et rustica gens, quae abhorreret a Musarum cultu, demortua esset, neminem quidem ingenuum puduisse poeseos, sed fortiora ejus

et audaciora genera, heroicum una cum tragoedia, satiricum cum comoedia et quodammodo etiam elegiacum in honore fuisse, lyricum contra mitius, quod Horatius coluerit, ut levius, mollius, Romanis moribus non conveniens despectum et neglectum. Deinde universo loco nihil agi statuit, nisi ut lyrica poesis defendatur et laudetur, addens, verba: Ne forte pudori rell. non pro appendice esse habenda, sed summam sententiae exprimere praemissa narratione historica suffultam. Postremo hoc dicere voluisse Horatium contendit, lyricam poesin praeter alia genera summa veneratione esse prosequendam ut vetustissimam vel potius omnium primam simulque saluberrimam, utpote quae humanitatis magistra fuisset. Post eam demum ejusque cultores, ut Orpheum (post hos), epicam, elegiacam, didacticam et dramaticam floruisse, minus tamen fructuosas ad proferendam hominum salutem. Inde non esse, quod quemquam ejus puderet.

Ingeniosa est haec explicatio, ut omnia, quae Doederlinus scribit. Tamen dubito, num vera sit. Etenim quum in eorum numero sim, qui sententias et in hac epistola vinculo quodam copulari existimant, mihi quidem vv. 391—409 ex iis, quae proxime antecedunt, interpretandi esse videntur idque significare, quod supra dixi. Sed hac quoque causa dissentio, quod nihil nos cogit, ut vv. 391—401 ad lyricum potissimum genus referamus, nec verbo indicari video, vetustissima plura adtulisse vitae adjumenta, quam posteriora carmina. Huc accedit, quod mihi non liqueat, cur inserta sint verba gratia regum Pieriis tentata modis, si omnis lyrici generis laus versibus illis effundatur. Quod autem verba Musa lyrae sollers et cantor Apollo pro quovis poesis genere posita sunt, id haud scio an nihil offensionis habeat, quum illa partem denotet pro toto, Apollo non solum lyricos poetas, sed omnes praesidio suo sustentaverit.

XV. Modo accedat ad ingenium artis perfectio,

vv. 408—419.

Irrita et inutilis est illa quaestio, utrum poeta nascatur an fiat. Ars enim et natura id foedus facere debent, ut altera alterius ope nitatur. Exemplo sunt cursor Olympicus et Pythius tibicen, quorum alter multo labore, exercitatione, abstinentia efficit, ut palmam primus accipiat, alter, antequam res venit ad certamen, disciplinae severae se tradidit formandum. At nunc quidem hoc sufficit effatum: egregius sum poeta, imprecor diras ultimis, non mihi hoc probrum infero, ut cedam aliis ejusque artis, cui nihil studii operaeque impertivi, re vera me expertem esse aperte dicam.

v. 416. Nunc satis est dixisse. Sic cum optimis codd. legendum. Orellius frustra patrocinatur alteri scripturae „Nec satis est, immerito e verbis Nunc satis est hanc ingerens Horatio conclusionem: Ergo quoniam nunc hoc

dixisse sufficit, tu quoque, optime Piso, sic dicito, Bentleioque assentiens, cujus haec verba sunt: Quorsum, obsecro illud Nunc, cum nulla hic temporum, sed studiorum duntaxat oppositio est. Non enim praesentes poetas cum antiquis in stadio cursoribus, cum priscis tibicinibus comparat, nam et qui nunc, inquit, studet metam contingere, quique nunc cantat Pythia, prius arte se et labore formant praeparantque. Vides jam, opinor, *τὸ ἀνακόλουθον*, vides illud Nunc et nihil ad rem facere et sententiam subvertere. Enimvero si Nunc satis est voluisset Horatius, consequens erat, ut non in diversis artibus, sed in una eademque comparatio institueretur, hoc modo: Olim quidem homines non sine magno apparatu, sine multo doctrinae instrumento et supellectile poeticam attingere ausi sunt, Nunc satis est dixisse.

At nimis acute vidit, ut saepe, vir sagacissimus. Nam Horatius praes. t. illis studet atque cantat non solum id significat, quod sua aetate fiat, sed quod moris est, ex quo instituti sunt ludi Graeci, ut sua sponte memoriam praeteriti temporis recolere debuerint aequales, quo summa fuit illorum certaminum celebratio. Nec est disparilitas, quod poetae et ii componuntur, qui Olympia et Pythia vicerunt. Atque in verbis Nunc satis est dixisse et irrisio acerba inest, qua perstringuntur mali poetae, et causa, cur Horatius suos admoneat, ut artem omni studio discant. In eo autem Orellius me consentientem habet, quod non certum aliquem istius aetatis poetam vellicari putat. Apposite enim scribit Jacobsius (Lect. Ven. p. 42): Ebensowenig möchten wir in dem Briefe an die Pisonen v. 416 der Behauptung Döring's beitreten: sine dubio respexit poetam aliquem sic de se sentientem et loquentem. Nicht als ob wir zweifelten, daß es Windbeutel dieser Art in Rom gegeben habe, sondern im Gegentheile, weil es sich nicht der Mühe lohnte, ein solches Individuum einzeln ins Auge zu fassen.

XVI. neve assentatorum plausus, sed severorum censorum judicium spectetur.

vv. 419 — 453.

Scilicet poeta arvis opulentus et pecuniosus praeconis instar quaestum emturis jactanter promittentis assentatores spe lucri allicit lubentius accursuros, si fercula idonee apposita vadimoniaque egenis, quorum fides concidit, exoptata, et patrocinia desperatis causis gratissima invitent, et tam scienter adulaturos, ut difficile sit laudibus fascinato mendacia eorum a vero distinguere. Idcirco cui dona dederimus vel daturi sumus, is procul habendus est a versuum dijudicatione gaudio ferventiore suspectus. Neque enim impensis exclamationibus abstinebit et modo obstupescet pallidus, modo lacrymis amorem simulatum testificabitur, exsultabit et ut insaniens ita se geret. Nimirum ut praeficae voce magis lamentabili plorant majoremque moestitiam prae se ferunt, quam qui verum dolorem habent, ita simulatores isti vehementiorem affectum mentiuntur, quam qui ex animo indicant, quod laude dignum est. Sed quum reges largis poculis instare vinumque meracum adhibere dicantur amicos experturi, poetae etiam caveant, ne astuti fallaciter sibi imponant. (Est autem, quo statim dignosci possint ab hominibus simplicibus et incorruptis.) Nam ii, ut Quintilius, non reticent recitato carmine, si hoc vel illud displiceat, suadentque emendationem detrectanti saepius jam frustra tentatam, ut malos versus litura exstinguat iterataque cura reparet, non ultra, si quis peccata excusare malit, quam mutare deteriora, interpellantes nec incassum obsistentes, quominus sine aemulo unus ipse sibi placeat. Sinceri enim judicis est et intelligentis, otiosos versus spernere, incusare scabros, invenustos obliterare, tumentia cohibere, ut obscuriora illustrentur urgere, locos ancipites vituperare, novanda notare Aristarchi vice, nec parcere amico in rebus leviculis, utpote quae neglectae ignominiam inurant poetae exploso semel et exsibilato.

v. 422. — ponere possit. Cf. Horat. ep. I 5, 21. procurare et idoneus.

v. 429. Pallescet super his. Krüger: Super his „ausserdem“, cf. sat. II, 6, 3. Mihi potius videtur significare de his, quum in sequenti etiam alterum lateat de his = modo haec, modo haec.

v. 444. Quin — amares. Recte Dillenburger: Pendet particula quin ex notione prohibendi, quam sentis inesse in verbis operam insumebat (debebat addere inanem). Apte etiam comparat Krüger Sat II, 3, 42. Hoc moneo contra Orellium et Hochederum.

v. 449. — mutanda notabit. Voc. mutanda ad omnia spectat, quae inde a v. 445 ut vitiosa recensentur.

v. 450. — non dicet. Hanc lectionem ideo adscribo, ne quis suspicetur ex mea loci hujus explicatione, me alteram nec dicet sequi. Causam, cur illa potior sit, jam Bentleius, opinor, satis enucleavit.

XVII. Furiosus poeta fortunae suae relinquatur.

vv. 453 — 476.

(Optime respondet exordio exitus, monstruosae figurae poeta furiosus. Orellius.)

Fanaticum illum, ut scabiosos, arquatos, lymphaticos, lunaticos, prudentes quasi contactum vitaturi fugiunt, pueri lacessunt improvideque sectantur. Hic autem

supino capite versus futiles frustatim evomens per vias et campos pervagatur, in quibus erroribus si, ut auceps irretortis oculis merulas persequens, in puteum foveamve delapsus erit, eum quantumvis enixe clamando opem civium imploret, nemo tamen servare velit. Nam si quis misericordia ductus in eo sit, ut demisso fune succurrat, continuo, „cognitumne habeat, num consulto ille in profundum se praecipitaverit auxilium repudiaturus," audiet Empedoclis fortunae admonitus, qui divini honoris cupidus frigido animo in flammiferum montem se ipse dejecit. Ergo hoc liberum esto poetis istis, ut sese ipsi perdant. Nam renuentem ab interitu liberare idem est quod interficere. Nec semel eum mortis cupido incessit, nec humana conditione vivere volet vitae redditus, quippe qui famae semper inhiet quaesito occasu oriturae. Quid? quod ignotum est, cur poeta factus sit, (nisi Deorum ira hoc acciderit) pollutone sepulchro patris an loco, qui fulmine tactus est, nefarie violato. Hoc certum, furere eum omnesque, indoctos doctosque, ut belluam, cui contigerit, ut claustra perrumperet, in fugam impellere metuentes, ne tristi recitatione crucientur, nec quem arripuerit, prius dimittere, quam enecatus sit legendo, hirudinis modo, quae in cute adhaerens sugit, donec satiata est sanguine.

v. 459. Longum clamet. cf. Virg. Ecl. III, 79. Et longum, Formose, vale, vale, inquit, Jola.